

Angulorum, in univertis Triangulatis ratio quæ sit, docebunt sequentia Theorema II.

*THEOR. I. Omnes cujusvis Triangulati anguli æquantur bis tot angulis rectis, quotum illud est in ordine figurarum Rectilinearum.*

Unde, quemadmodum Trianguli, quod Rectilinearum figurarum jam ante à nobis Prima est dicta, tres anguli, omnes simul sumti, duobus tantum Rectis æquantur; ita Quadrilaterum Secunda, quam prius etiam diximus in duo ad minimum Triangula reduci posse, bis duos, hoc est, quatuor angulos Rectos habet; vel, quod idem est, Quadrilateri quatuor anguli simul sumti æquantur quatuor Rectis. Ita & Quinquanguli figurarum Tertiæ, quodq; in tria Triangula est reducibile omnes anguli, bis tribus, vel sex angulis Rectis æquales sunt: Sexanguli figurarum Quartæ, in quatuor Triangula reductilis, anguli octo Rectis æquivalent. Idem judicium esto de reliquis Triangulatis omnibus.

Respondent itaq; omnes anguli

	Trianguli	Quadrang.	Quinquang.	Sexang.	Septang.	Octang.	Ec.
Figurar.	Primæ	IIæ	III.	IV.	V.	VI.	Ec.
Ang. Ris.	2 <sup>bns.</sup>	4.	6.	8.	10.	12.	Ec.

*II. Omnes cujusvis Triangulati anguli æquivalent tot Angulis Rectis, (minus quatuor tamen) quot ipsum habet latera bis sumta.*

Hoc Theorema nihil aliud quidem, quàm præcedens Theorema, concludit: sed per media alia. Ibi enim ex ordine figurarum inferebatur numerus angulorum Rectorum, quibus anguli cujusvis figuræ æquivalent: hic ex lateribus. Mens verò Theorematis hæc est, ut figuræ alicujus Multilateræ seu Triangulati (sed ejus tamen, cujus omnes anguli sint interni, nullus autem externus; qualis in proximè antecedenti Schemate erat Angulus CFD) latera omnia bis numeres, ab aggregato

I

gato